



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus I. Quid, & quibus modis aliquid sit probabile?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

DISPUTATIO XIV.

DE

Conscientia probabili.

HÆc est celebris illa quæstio, tanto studio & contentione inter benignos probabilis sententiæ [quos Adversarii honoris causâ Probabilitas nominant] & rigidos probabilioris sententiæ Patronos [quos illi per retorsionem Probabilioritas vocant] hoc tempore agitata, ut graves doctique Theologi sui muneris & nominis penè oblitæ ab Authorum & rationum pondere in acerbas satyras deslectant, seque mutuis commatibus lacestant. Modestiùs ideoque laudabiliùs pro rigidiori sententiâ admodùm doctè scripsit Julius Mercorus Cremonensis; pro sententiâ benigniori è Recentioribus Eparza, Stephanus de Champs, Terillus: è Thomistis Ildesonus Casaraug. & Jo. à S. Th. quorum discussis utrinque rationibus, quod optimum visum fuerit, sequemur. Cæterum opiniones practicè probabiles diversimodè se habent: nam aliquando contingit, ut opinio probabilis nullam habeat aliam probabilem ex adverso sibi oppositam in intellectu opinantis. Secundò, ut sint duæ oppositæ in æquali probabilitatis gradu. Tertiò, ut una probabilior alterâ, idque vel in magno, vel in parvo excessu probabilitatis. Quartò, ut probabilior faveat præcepto, sitque tutior, seu remotior à periculo peccati. Quintò, ut minus probabilis sit certius talis, vel tantùm probabiliter. His positis omnes utriusque partis Authores in hoc conveniunt, quòd liceat sequi minùs probabilem, quæ simul est tutior; discrepant, quòd rigidioris sententiæ Authores velint, in concursu probabilioris faventis legi, debere relicta minùs probabili eligi probabiliorè; negent verò benignioris sententiæ Authores. Utrique rursus dividuntur in duas classes: nam ex rigidioribus volunt aliqui nec probabiliorè sententiâ sequi licere, si sit minùs tuta. Ita Mercorus, p. 2. a. 7. & 9. Alii concedunt; ita Prosper Fagnanus in c. *ne imitari*. n. 225. Ex benignioribus aliqui volunt licitum, sequi sententiâ minùs probabilem, & minùs tutam, modò sit probabiliter probabilis. Ita Caramuel, Pasqualigus, Tamburinus. Alii exigunt, ut sit certò probabilis. Ita Honoratus Fabri, Terillus & alii. Cùm doctrina practica respiciat particulares & singulares actiones, quæ diversis subjacent circumstantiis, existimo mediâ viâ incedendum, neque universali aliquâ regulâ humanas operationes vel intra limites rigidioris sententiæ constringi, vel in amplitudinem benignioris sententiæ laxari posse: unde videmus & rigidioris sententiæ Patronos, cùm ad casus particulares ventum fuerit, multùm de suo rigore remittere, & vix terminis ab opposita dissentire; econtrâ sententiæ benignioris Doctores in certis materiis suam doctrinam arctioribus cancellis constringere, & limitare. Ideo per particulares qq. & plures §§. præsentem difficultatem deducemus.

ARTICULUS I.

Quid, & quibus modis aliquid sit probabile?

SUMMARIÆ.

1. Exponitur status quæstionis.
2. Quadruplex apparentia veri.
3. Definitio opinionis probabilis.
4. Rejicitur definitio Vincent. Baron.
5. Exponitur Authoritas Aristotelis.
6. Nostra definitio non petit principium.
7. Diversi gradus probabilitatis.
8. Divisio opinionis in speculativè & practicè probabilem.
9. Aliud probabile quoad se, aliud quoad nos.
10. Alia probabilitas directâ, alia indirectâ.

§. I.

Definitio probabilitatis.

1. **D**um probabilitas cum laxitate, & practica probabilitas cum speculativa confunditur,

fit, ut quandoque Authores severis argumentis existiment impugnare se probabilitatem, cùm ipsa solam impugnent laxitatem sententiarum. Opus ergo est primò notionem & naturam probabilitatis cognoscere, de qua

Notandum primò ex Terillo. Verum, quo ceu objecto formali intellectus trahitur ad aliquid, quadruplici modo representari & apparere in intellectu: nam primò apparentia veri est certa & evidens; cùm intellectui connexio terminorum est manifesta, & excludit omnem apparentiam de veritate oppositi, ut est verum scientificum. Secundò est certa, sed inevidens, cùm intellectui non manifestatur intrinseca connexio prædicati & subjecti, & ideo relinquit apparentiam de veritate oppositi, magnitudo tamen moti

§ II.

Solvuntur Objectiones.

tivi est tanta, ut necessariò connectatur cum veritate, & ita se habet apparentia veri, in qua fundatur fides Theologica. Tertio. Datur apparentia veri fallibilis & incerta, quæ tamen sæpius connectitur, quàm non connectitur cum veritate. Quarto. Datur apparentia veri incerta & fallibilis, quæ tamen sæpius conjungi solet cum veritate, quàm veritate. Prima apparentia constituit motivum scientificum, cui intellectus objecti evidentià convictus necessariò absque voluntatis impulsu assentitur. Secunda constituit motivum fidei Divinæ, cui intellectus absolute, sed non nisi imprudenter dissentiri potest, ideoque ad assensum requiritur impulsus & pia motio voluntatis. Tertia constituit motivum probabile, quod liberè, rationabiliter tamen, trahit ad assensum, sive quod juxta prudentum æstimationem est dignum assensu, ideoque eget impulsu voluntatis per prudentiam directæ. Quarta constituit motivum improbabile, quia ostendit objectum fallibile in tali statu, ut de ejus veritate non possimus prudenter confidere: ideoque ad illius assensum movetur Voluntas non nisi imprudenter & temerè, aliqua passione & pravo affectu impulsâ. Prima generat scientiam, altera fidem, tertia opinionem probabilem, quarta improbabilem.

3. Notandum secundò. Ex prædictis opinio nem probabilem rectè definiti ab Honorato Fabri, quòd sit opinio, quæ circa certitudinem rationabilis fundamento nititur. Genus hujus definitionis est opinio circa certitudinem, hoc est, assensus determinatus [quo discriminatur à dubio proprio sumpto] fallibilis tamen [unde discernitur à scientia, & fide Divina] cum formidine oppositi. Differentia, per quam ab opposita specie opinionis improbabilis distinguitur, est, quòd nitatur gravi & rationabili, non levi rationis [si sit probabilitas intrinseca] vel autoritatis [si sit probabilitas extrinseca] pondere. Rationabile autem fundamentum dicimus, quòd ex prudentum judicio habetur dignum assensu, seu quòd prudentia & recta ratio dignum existimat, ut voluntas intellectum ad assensum ipsius applicet absque temeritatis nota.

4. Hæc definitio tanquam definito commensurata, idque distinguens non tantum à scientia, sed etiam ab improbabili opinione, est bona, & longè melior illâ Vincentii Baronii, quâ, ut hostem sibi fingeret, quem impugnet disp. 1. s. 2. a. 2. ita descripti opinionem probabilem: *Probabile dicimus illud, cujus certitudinem aut falsitatem prænostra ignorantia, & rei inevidentia nil certò nobis constet, aliquam verisimilitudinem habet, cui assensum damus formidolosum, no forte falsum subest &c.* Peccat enim hæc definitio, quòd opinionem probabilem non distinguat ab improbabili, imò ab ipsa hæresi: quis enim nescit, & hæretico formali suum errorem, & temerè opinanti suum objectum apparere verosimile? Unde nil mirum, si isti authores probabilitatum monstra in ore & stylo habeant, quando veram probabilitatem cum improbabilitate confundunt, atque hunc monstruosum scopum suis impugnationibus præfigunt.

R. P. Mezger, Theol. Schol. Tom. II.

Oppones tamen auctoritatem Aristotelis, qui s. 1. 2. Prior. c. 27. & 1. 2. Rhet. c. 2. probabile definit, quòd plerumque contingit, vel quòd ferè semper solet fieri. Quæ definitio videtur repugnare nostræ: Nam in nostrâ, cum utraque pars contradictionis possit habere gravia motiva, quæ merentur prudentum assensum, utraque potest esse probabilis, quia repugnat, ut contradictorium ejus, quòd plerumque contingit, ipsum quoque plerumque & ferè semper contingat; cum contradictorium ejus, quòd ferè semper contingit, necesse sit, rarò contingere. Sed optimè advertit Esparza, & explicat Arist. *Append. p. 1. a. 91.* & seqq. quòd loquatur de probabili argumentativo & universaliter sumpto, quòd est medium syllogismi Topici, unde sicuti posuit principia per se intelligibilia in genere scibilium & certorum, ita posuit principia per se credibilia & probabilia in genere opinabilium, quale est illud: *Omnis mater amat filium suum.* Non verò de probabili in singulari & proximè pratico, quòd non dicitur probabile, eò quòd sit medium universale idoneum ad arguendum & probandum [quo sentu Philosophus loquitur] sed, quòd dignum sit, ut ex alio prudenter inferatur, & in actionem singularem deducatur: sive [ut vult Esparza] quòd probari vel approbari merito potest. Cum igitur Philosophus loquitur de probabili, sumit probabilitatem activè, & relatè ad conclusionem, quæ in illa continetur, pro principio probationis. Theologi in præsentia accipiunt probabilem opinionem passivè pro termino bonæ & validæ probationis. Cui proinde Philosophi definitio nequit accommodari, veluti exemplificat prædictus Esparza ex D. Th. in 4. dist. 45. q. 2. a. 2. quæstion. 1. ad 5. ubi ex supposita veritate illius relationis, quòd D. Gregorius orans pro anima Trajani audivit vocem divinitus allapsam: *Vocem tuam audivi, & veniam Trajano do: duplicem modum offert, quo hoc fieri poterit, utrumque probabilem, vel quòd B. Gregorii precibus fuerit ad vitam revocatus, sicque per penitentiam salvatus, & antecederet, secundum superiores causas, quibus providebatur ad vitam revocandus, non finaliter in inferno deputatus, vel quòd anima Trajani non fuit simpliciter a reatu pœnæ eterna abolita, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii &c.* ubi vides, neutram partem esse plerumque ex contingentibus, quamvis utraque Divo Thomæ videatur probabilis.

Opponit secundò Vincent. Baron. hæc definitione peti principium, quia de hoc ipso vertitur controversia, an assensus opinionis probabilis sit prudens? hoc enim concessio negari vix poterit, quin electio & usus talis sententiæ, quippe prudenti judicio regulatus, sit concessus & licitus.

Verum neganti incumbit probatio. Definitio ista, quam benignioris sententiæ DD. pro fundamento habent, non petit principium, sed est ipsummet principium & axioma, è quo alia deducuntur, quemadmodum qualibet scientiæ & disciplinæ habent sua determinata prima principia, quæ non tam probant, quàm supponunt, Ni-

hilomī-

hilominus veritas istius definitionis amplius dilucidabitur art. seq. & ex hoc patere potest, quòd aliàs probabilis sententia ab improbabili non sufficienter discerni possit. Nam ut exemplum & paritatem ducamus à Scholasticis & experimentalibus: Dantur & agnoscuntur in scholis sententia speculativa contradictorie opposita, quarum utraque est aliquando probabilis. Cur? quia habet argumenta, non quidem convincentia, gravia tamen, quæ ita merentur assensum, ut quilibet cuiuscunque ex iis assentiens non temerè, sed prudenter & rationabiliter assentiri censeatur. Aliquæ verò dicuntur improbabiles non alia de causa, quàm quia non habent fundamenta tanti ponderis, ut non maneant ex adversa parte facile convicta, nec proinde mereantur prudentem assensum. Rursus: Si quis assentiarur novis relatis, tum propter compertam referentis auctoritatem, tum propter conjecturas graves, quæ sint ex se potentes persuadere assensum, dicitur prudenter, & non temerè illa credere; aliàs si vel abique auctoritate, aut motivis sufficientibus facile credit, dicitur temerè & imprudenter credere. Igitur opinio prudens est, quæ nititur rationabili motivo, quod sit dignum prudenti assensu: opinio imprudens, quæ nititur levi & insufficienti motivo. Illa propterea est probabilis, hæc improbabilis; ut in speculativis, & civilibus, ita & in practicis & moralibus.

7. Uti verò motiva probabilitatis sunt magis minusve efficacia, ita etiam probabilitas suos distinctos gradus habet. Supremus gradus videtur esse opinionis probabilissimæ vel probabiliter certæ, cum tanta est motivorum efficacia, ut opinio opposita relinquatur solum probabiliter probabilis ex nimia inæqualitate motivorum, non verò omnino, ut improbabilis damnari possit, eò quòd saltem aliquo non omnino levi rationis & auctoritatis pondere fulciatur. Probabilior est, quæ gravioribus nititur fundamentis vel extrinsecis ab auctoritate DD. vel intrinsecis à pondere rationum, quæ rursus potest esse in majori, vel minori excessu. Probabilis alia est certò probabilis, quia certò nobis constat, illam habere gravia & ponderosa fundamenta, quibus assentiens culpam vel imprudens nemo possit, & quia ut probabilis habetur, & agnoscitur ferè ab omnibus doctis, sive illam sententiam amplectantur, sive non amplectantur. Alia est probabiliter tantum probabilis, quia licet aliqui ceu probabilem agnoscant, sunt tamen alii, vel plures qui existimant improbabilem, in qua proinde opinio minimus gradus probabilitatis reperitur. Cæterum sicuti opinio quoad nos minus probabilis, ex novæ auctoritatis vel rationis accessu potest fieri magis probabilis; ita è converso magis probabilis fit quandoque minus probabilis; imò probabilis potest ob Ecclesiæ & Concilii definitionem fieri improbabilis, siquidem plures propositiones, quæ antiquitus habebantur probabiles, modò non tantum improbabiles, sed etiam hæreticæ habentur.

8. Opinio probabilis dividitur rursus in speculativæ & practicæ probabilem: speculativæ probabilis communiter illa dicitur, quæ habet rationes alicujus momenti pro veritate objecti, secundum

substantiam, & abstractè ab omnibus circumstantiis vel particulari exercitio considerati. Practicè probabilis est, quæ habet rationabilia motiva pro honestate actus omnibus consideratis hic & nunc exercendi. In qua acceptione contingit, aliquam opinionem esse speculativè probabilem, practicè improbabilem, e.g. probabilis est opinio, posse Sacramentum Baptismi confici in aqua ex sale resoluta; est tamen speculativè solum probabilis, quia nulla dantur motiva, quæ suadent honestam confectionem Baptismi, seu applicationem talis materiæ extra casum necessitatis hic & nunc exerceri posse. Si verò opinionem speculativè probabilem cum Joa. Sanch. illam intelligas, quæ in universali judicat de honestate actus, relatè ad omnes circumstantias [quanti melius diceretur iudicium speculativum de opinione practicè probabili, quàm opinio speculativè probabilis;] & practicè probabilem, quæ in particulari hic & nunc relatè ad actuale exercitium judicat de honestate actus; tum fieri vix poterit, ut opinio speculativè probabilis, non sit etiam practicè probabilis; siquidem in hoc sensu practicè probabilis est subalterata speculativè probabili, & in illa tanquam particulari proposito in universali continetur: e.g. in hoc modo loquendi, iudicium, quo sine certitudine assentior, hominem Christianum in extremis constitutum absque omni signo contritionis, posse sub conditione absolvi, est speculativum: istud verò, quod iudico, Petrum hic & nunc in tali casu deprehensum à me posse absolvi, est practicum. Si illud est probabile, etiam hoc debet esse probabile, quia quod dicitur de omni, dicitur de quolibet contento sub illo. Si probabile est, nullum Clericum teneri ad restitutionem superfluum, etiam est probabile, Episcopum, Canonicum &c. non teneri. Si probabile est, contractum census Germanici quinque pro centum, non esse usurarium sed licitum, est etiam probabile, hunc contractum ab hac Ecclesia, cive &c. initum esse talem.

Potest etiam aliquid esse probabile quoad nos, quin tamen sit probabile quoad nos; & vicissim esse probabile quoad nos, quod sit improbabile quoad se. Probabile quoad se est, quod à parte rei habet motiva sufficientia ad prudentem assensum; probabile quoad nos, quod in intellectu assentientis habet motiva prudentem assensum suadentia. Contingit autem aliquando, nobis motiva probabilitatis, quæ reverè dantur, debere non innotescere, quemadmodum hominibus in hæresi natis & educatis motiva credibilitatis Catholicæ fidei non innotescunt: & tunc non obstante, quòd opinio in se sit probabilis, certum probabilis, vel potius non probabilis quoad nos. Aliàs verò motiva probabilitatis pro una parte ita apparent, & representantur iudicanti, ut non appareant rationes vel motiva opposita partis quorum pondere prior opinio elideretur & fieret improbabilis, prout contingit in prædictis hæreticis materialibus; qui cum nullas fidei Catholicæ rationes, sed solummodò auctoritatem & argumenta suis erroribus faventia percipere poterint; ideo ipsorum rationes quoad se penitus improbabiles, quoad illos tamen sunt probabiles.

Tandem potest aliquid esse probabile diversè &c.

indirecte, vel quasi reflexe. Directa probabilitas est fundata in ipsa natura objecti. v. g. probabile est, quod liceat artificiosè pingere die festo, quia probabile est, pecturam artificiosam non esse opus seruire. Probabilitas indirecta est, quæ petitur vel ex reflexione supra directam probabilitatem, ut quod sit sententia valde probabilis, licitum esse, sequi opinionem probabilem, vel ex aliqua

circumstantia extrinsecus adjecta: ut quod sibi licitum sit bellare; quia præsumi potest pro Principe, quod gerat iustum bellum: quod licitum sit hanc rem retinere, quia sit in possessione; quod liceat hunc actum exercere, eò quod dubia prohibitio non sit sufficienter promulgata & consequenter non obligatoria &c.

ARTICULUS II.

Quenam sint principia practicae probabilitatis?

SUMMARIUM.

1. Loci intrinsecæ probabilitatis.
2. Improbatur argumentum à pari.
3. Et inutile ostenditur.
4. Fundamenta docentium unius Doctoris auctoritatem sufficere ad probabilitatem.
5. Argumenta sententia opposita.
6. Limitationes, quibus adversarii suam sententiam restringunt.
7. Sufficit auctoritas unius Doctoris in materia nondum ventilata.
8. Item pro homine indocto.
9. Non pro omni casu, aut contra communem aliorum.
10. Solvuntur rationes opposita.
11. Penitentes possunt ordinariè acquiescere consilio Confessarii.

§. I.

Principia intrinsecæ probabilitatis.

Principia & locos, è quibus motiva probabilitatis practicae petuntur, non difficulter reperies. Sunt, ut referunt Jo. à S. Th., Honoratus Fabri, aliique, in primis lex ejusdemque explicatio, & concordia circa legem. Consectudo, quæ non solum legis interpres, sed & pro lege reputatur. Possessio, quæ conditionem possidentis in dubio meliorem efficit. Necessitas, quæ non habet legem, & multa facit licita, quæ alioquin illicita fuissent. Effectus, damna, absurda, quæ ad aliquam operationem sequuntur, aut secutura prudenter timentur. Adde finem, naturam, proprietates, alicujus objecti.

Argumentum verò à pari, si absint cætera, tanquam inefficax & infidum Theologo [ut appellat Elparza in proem. Theolog.] nullo modo sufficiens existimo, ad practicae probabilitatem in morum materia conciliandam; quamquam enim ad exercenda ingenia in Scholasticis concertationibus sit idoneum, tamen [inquit profundissimus prædictus Theologus] plerumque est & inefficax ad persuadendum, & permolestum respondentis, præsertim glorioso, nempe ob defectum cognitionis rationum utrobique differentialium &c. Unde etiam videmus, Angelicum Doctorem, aliosque antiquos ad sua dogmata stabilendam argumento à pari rarissimè usos fuisse. Præsertim verò, quia paritates ad laxandam morum disciplinam facile viam aperire videntur; uti constare potest ex illa opinione in Theolog. fundam. à Caramuele disputativè proposita, & ab Alexandro VII. prohibita: quod unico officio possit satisfacere duplici præcepto pro die presentis & crastino. Quodnam

R. P. Mez. Theol. Schol. Tom. II.

enim expectas hujus egregiæ opinionis fundamentum? paritas est: possum uno jejunio satisfacere voto, Ecclesiæ, vel Confessarii præcepto; ergo etiam uno matutino possum satisfacere præsentis & sequentis diei præcepto &c.

Insuper inefficacia hujus argumentationis ex eo liquet, quod argumentum à pari non nititur connexionione aut repugnantia subjecti & prædicati consequentis cum aliquo tertio, sed tantum prædicatum antecedentis transfert ad subjectum consequentis, eodem modo, quo positum fuerat in antecedenti propter solam similitudinem & uniformem comparationem subjectorum utriusque propositionis quoad illud prædicatum. Unde nec est ad efficaciam & vim concludentem paritatis, ut illi arguunt; superaddatur ratio ulterior efficacis communis antecedenti & consequenti, quæ reddet inutilem, certè minimè necessariam paritatem; quia perinde accommodari poterit, & cum eadem vi soli consequenti, relicto antecedenti. E.g. ut hæc paritas prober: *Agua est corruptibilis*: ergo & terra, oporteret accipere rationem & terminum utriusque communem: quia est æquè elementum: Cur ergo non dicis: *Omne elementum est corruptibile*: sed terra est elementum; ergo. Unde vides inutilitatem paritatis.

§. II.

An ad extrinsecam probabilitatem faciat auctoritas unius Doctoris?

Major est in extrinsecam & authenticam probabilitate statuenda difficultas. Sunt enim primò, qui cum Caramuele, utroque Sanch. Palao, to. 1. re. 1. disp. 2. p. 1. affirmant, unius Authoris moderni, gravis & docti placitum, etiam communi DD. opinioni contrarium, sufficere ad constituendam opinionem probabilem; ita, ut quis illam tuta conscientia sequi possit.

Probant primò. Quod asserunt plures, quam 16. Authores, est probabile: sed unius Doctoris gravis & pii auctoritatem sufficere ad extrinsecam probabilitatem, docent plures, quam 16. Authores, ut est videre apud citatos Authores: ergo.

Secundò. Sententia probabilis est, quæ non levi nititur fundamento: sed auctoritas unius viri docti & pii non est leve fundamentum, cum cuilibet sit in sua arte credendum; ergo.

Tertiò. Potest quis privato consilio ejusmodi Doctoris moveri ad agendum: ergo etiam potest sequi ipsius consilium typis vulgatum.

Quartò. Discipulus securè sequitur sententiam sui magistri, & subditus Superioris: ergo à fortiori